

essendi, re non variante; Hic ab operationibus argumenta  
formari invicta ad potentias, à potentiis ad essentias, dicimus  
nos & asseveramus. Complexa verò quia axiomata sunt  
& enuntiationes integræ, huc adeò non spectant, ad subjecti  
enim nostri essentiam non faciunt, sed Lectorem duntaxat  
aut Auditorem instruunt, quo de nervosissimè disserit *B. Sper-*  
*lingius in Exercitat. Lib. III. Exercit. II. Prop. II.* Principia  
tandè fiendi sive transmutandi quo jure relegemus & ex Physi-  
câ eliminemus, infra ejus rei tradituri sumus rationes proli-  
xas juxta atq; prægnantes.

§. 5. *Differentiam* dat influxus in esse corporis natura-  
lis. Ubi notetur omninò, quod influxus hîc non accipiatur  
pro causatione speciali ipsius efficientis, sed pro generali &  
communi influxu, quo quævis causa in suo genere in effectum  
influit. Verbo: Influxus hic intelligitur tam intrinsecus quàm  
extrinsecus: Causat enim & efficaci concursu effectum pro-  
ducit non efficiens modò, sed forma etiam, materia & finis.

## Caput Secundum

*explicans*

### Definitionem Causarum Corporis Naturalis.

*quæ est*

Dividuntur Causæ Corporis Naturalis  
in Internas & Externas. Internæ sunt, quæ  
corporis naturalis essentiam ingrediuntur,  
ut Materia & Forma.

Externæ sunt, quæ corporis naturalis  
essentiam non ingrediuntur, sed extrinsecus  
illud constituunt, ut Efficiens & Finis.

§. 1. *Que-*